



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

CXI. De Fide vita & moribus contestanda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

in me, unitus denique mihi ipsi. Nam ne invicem quidem erit jam verbis uti, ubi in unum utique virum perfectum occurremus omnes. Opportunè igitur linguæ cessabunt; nec medius requiretur interpres, ubi usque adeo medium omne charitate constraverit ille unicus mediator, ut & nos in unum facti simus in ipsis, qui verè sempiternæque unum sunt, Deo Patrè, & ipso Domino Iesu Christo.

S E R M O C X I. †

De Fide, vitâ & moribus contestanda. seu de sex Testimoniis Deo perhibendis.

A Eternam cælestis patriæ, ad quam nostra peregrinatio suspirat, felicitatem, & contra gehennæ paratos impiis cruciatus, omnem excedere humani non modo corporis sensum, sed etiam intellectum cordis, nemo dubitat, qui vel nomine tenus est fidelis. Atque utinam viveret in omnibus fides ista, & credulitatem, ut dignum erat, sequeretur hinc quidem desiderium, inde timor. Quid est enim, quod non optamus etiam per medios enses, aut si oporteret, semijusti declinare miseriam tantam, & ad tantam accelerare gloriam, nisi quod insensibilis est, & mortua fides nostra? Accedit sanè ad cumulum infelicitatis, salutis impedimentum, occasionem perditionis nostræ, quod in æstimatione finis utriusque affectio nostra iudicio non consentit; vel in consideratione viarum ne ipsum quidem satis tenemus iudicium veritatis. Nec mirum si nulla virtutum delectatione movetur desiderium, quod etiam circa illam æternam beatitudinem torpet: aut si præsentem non metuit amaritudinem peccatorum, qui ne ipsa quidem parata diabolo & angelis ejus æterna supplicia pertimescit, nisi quod in cæteris utrinque consuevimus, ipsa quorum vicinior nobis experientia est, etsi longè minora sunt, vehementius & jucunda appetere, & formidare molesta.

Illud satis mirari nequeo, cur fides nostra in præsentibus titubat, quæ de futuris tam certa videtur. Sic fatui filii Adam non iudicantes, neque quod verum est, discernentes, cum promissiones habeatis vitæ eius quæ nunc est, pariter & futuræ, in ea quam protinus est experiri, omnino incredulos vos exhiberis & infideles; ut palam fieri videatur, nonnisi ad cumulum damnationis relictam nobis fidem futuræ promissionis. Id ipsum sanè considerare est & de comminatione. Nonne enim idem ipse, qui paratum asserit electis regnum *b*, reprobis ignem, eodem ore & eadem veritate testatur, laborare & oneratos esse, quicumque ad ipsam non accedunt: accedentes autem non defecturos *c*, ut est trepidatio pusillanimitatis humanæ, sed reficiendos ab ipso; qui regnum ineffabiliter delectabile pollicetur: ipse jugum suum suave & onus leve esse testatur *d*. Qui æternam beatitudinem promittit in patria, præsentem quoque requiem &

D d d d 2

refectio

† *Deest in aliis edit. Nunc primum editus ex antiquo Codice Spira allato. Genuinum Bernardi fatum esse, stilus & tota orationis textura convincit. Fidei languor & torpor causa nostræ in curanda salute reperitur.*

*a 1. Tim. 4 c
Cur tam parum nos moveant tum promissiones, tum comminationes divine.
b Matt. 25. c
Matt. 11. c
c Ibid.
d Ibid.*

•Esa. 54.

f Matth. 11. d

*Fideles male
videntes fidei
& Christo ipsi
derogant; imo
mendacem eum
faciunt.*

Rom. 3. a

1. Cor. 2. d

*Carnales ad cœ-
lestia stupidi ri-
sent spem futu-
rorum, sola præ-
sentia estiman-
tes.*

Psal. 118.

Matth. 6. a

Matth. 25. a

refectionem repromittit in via. Denique Propheta loquitur dicens ^e. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus diligentibus se; & facile credimus universi.* Loquitur ipse Dominus Prophetarum ^f. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: tollite jugum meum super vos, & invenietis requiem animabus vestris: jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Et quam multi avertunt cordis aurem? nam corporis jam fortè non audent. Quid incredulitatis istud est? imò quid insanix? Quasi vero aut falli sapientia, aut fallere veritas possit. Quasi aut charitas quod offert, dare nolit, aut omnipotentia non valeat, quod promittit.

Quis enim hominum adeò voluptati & luxuriæ deditus est; qui non sobrietatem & castitatem magis eligeret, si certus esset, eas sibi delectabiliores fore? Quis tam ambitiosus, qui non inciperet vilitate omni & extremitate esse contentus, si ut verè est, dignitatibus universis sciret amabiliorem? Quis tam avarus, qui non omnino divitias sperneret, si jucundio rem crederet paupertatem? Nunc autem Christus frustra clamat de levitate oneris sui: sine causa jugum suave prædicat; quandoquidem ab ipsis qui Christiano censentur nomine, onus Diaboli, & jugum carnis, atque seculi huius delectabilius reputatur. Sed unde tibi vel inconsideratio tanta, quanta ab ipsis imponitur Domine Deus meus? Cur tam publica polliceris, quod tam facile deprehenderis non implese? Dulciorem super mel & favum spiritum tuum asseris: & ecce isti dulciorem invenerunt carnem venationis; carnem pro pudor! meretricis; seculi vanitatem. Væ miseris, de pari judicant, & tanquam amarum fastidiunt manna tuum absconditum, quod non gustaverunt. Sanè qui probaverunt utraque, ecce hi sciunt, quia Deus verax, omnis autem homo mendax ^f. Ipsorum proinde testimonia esse debuerant credibilia nimis: sed cum promissionibus tuis tuorum quoque experientia contemnitur & ridetur. Carnalis siquidem homo non percipit quæ sunt spiritus Dei, sed stultitia illi videntur ^g. Nec mirum, si experto non credit homini, qui Deo non credit promittenti. Ergò insani reputamur, qui crucem Domini prædicamus esse suavem: qui delectationem paupertatis magnificamus, extollimus humilitatis gloriam; eructamus delicias castitatis: Insanus nobiscum æstimetur & Propheta, qui dicit *delectatum se esse in testimoniis Domini, sicut in omnibus divitiis* ^h.

Vos qui sapientes estis in oculis vestris, non omnes, sed paucas, quas vel mendicare potestis, divitias divinis præferte testimoniis, ut nullum unquam habeat testimonium fides vestra. Penes vos fit in occulto, in abscondito, ubi ne ipse quidem videat Pater qui est in cœlis ⁱ; sed dicere possit, *quia nescio vos* ^k. Firmiter creditis Deum justum, veracem, remuneratorem, omnipotentem, summè bonum, æternum. Exhibete vos aspides surdas,

das, & obturantes aures, ne quando audiatis vocem improperantis, & dicentis; Credite: Ostende mihi fidem tuam sine operibus; quanti vobis constat. Viam autem testimoniorum nolite ingredi, quoniam ardua est, & aspera, & inambulabilis. Miseri & infelices, qui viam civitatis habitaculi non invenistis; & ideò erratis in invio, & non in via. Fines nempe viarum, quæ videntur vobis bonæ, quæ delectabiles vos esse judicatis, (neque enim veræ quidquam delectationis habent) demergunt in profundum inferni: ibi erit fletus & stridor dentium. Expergiscimini ebrii & flete, ne fletus ille perpetuus apprehendat incautos. *Cum enim dixeritis, Pax & securitas, tunc subitaneus vobis superveniet interitus tanquam in utero habenti, & non effugietis*¹. Meritò planè, qui non fugiendi tempus scienter amittitis, & refugitis effugiendi viam.

Orate, inquit Dominus^m, ut non fiat fuga vestra hyeme, vel sabbato. Fugite dum tempus est acceptabile, & via delectabilis exhibetur. Fugite sex diebus, quibus operari licet. Fugite in testimoniis sex illorum quæ supra tetigimus, justitiæ, remunerationis, veritatis, omnipotentiae, summæ bonitatis, aternitatis, ne septimum, divini scilicet Zeli testimonium non tam detis, vel vitetis, quam sustineatis inviti. Genimina viperarum, quis vos docuit fugere à ventura irâⁿ? Via mortis est, in qua curritis, via perditionis; via cuius finis demergit in profundum inferni. Adhuc tamen spes est, quia necdum viæ, id est, vitæ finis advenit. Festinate prævenire finem: ne subitò præoccupati quacunq; cecideritis, ibi sitis. Venite filii; audite me. Viam salutis docebo vos: viam testimoniorum Dei, in qua delectemini & vos sicut in omnibus divitiis.

Sit prima dieta usque ad cor. Illuc nempe prævaricatores revocat vox divina^o; ubi testimonium *Iustitiæ* eius compunctionem generet & timorem. Hinc sanè procedat ad confessionem oris, ut non cunctemur etiam contra nosmetiplos perhibere testimonium *veritatis*. Quisquis enim coram hominibus erubuerit illam; hunc & illa erubescet coram Patre suo^p. Sequatur deinde possessionum distractio; distributio facultatum, sicut scriptum est^q. *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi.* Et item^r. *Si vis esse perfectus, vade & vende omnia qua habes, & da pauperibus; & habebis thesaurum in Cælo.* Est enim in hac liberali effusione testimonium *largitatis diviniæ*, & copiosæ retributionis, ut qui sponte distribuit sua, indubitanter sperare videatur de manu Domini ampliora. Adhuc autem quantum quoque præbeas necesse est testimonium *omnipotentiae*. Dico autem in corporis afflictione. Seminandum quippe est animale corpus, sed ut spirituale resurgat. Non tibi ergò, qui parci corpori, de resurrectione & immutatione hæsitare videtur? Sic & qui non compungitur animo de justitia; & qui non confitetur, de veritate; & qui avarus est, de

1 1. Theff. 5. a

m Matt. 24. b
Sex testimonia
Deo, sed de di-
vini attributa
perhibenda.

n Luc. 3. b

o Esaiæ 46. e
Testimonium
Iustitiæ,
Veritatis.
p Luc. 9. c

q Psal. 111. b
r Matth. 19. c
Testimonium
Liberalitatis.

Testimonium
Omnipotentiae.

Testimonium
Bonitatis,

f Matth. 19. c

Testimonium
Aeternitatis,

Eccl. 27. b

Psal. 83.

Ioan. 14. a

retributione futura? Eodem quoque modo considerare est cetera quae sequuntur. Etenim si eousque proficias, ut propriae abrenuncies voluntati, certissimum illud est *divinae testimonium bonitatis*. Veniens nimirum non tuam, sed ipsius facere voluntatem, commendas magnifice, quam sic praefers, clamans non verbo, neque lingua, sed opere & veritate, quia nemo bonus nisi solus Deus.

Superest ut perseverantiae studeas. Haec enim viae consummatio est, & testimonium habet *aeternitatis*. Imago siquidem aeternitatis divinae, perseverantia est conversationis nostrae; ut quomodo ipse est, ita & nos firmus in hoc saeculo, incommutabilitatem illam pro modulo possibilitatis nostrae imitantes. Hinc quippe Sapiens ait ^t, *Stultus ut luna mutatur; sapiens permanet ut sol*. Haec ergo via, dilectissimi, ambulate in ea, cum ascenderitis de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion ^u. Ad cuius gloriam visionis ipse nos perducatur Dominus virtutum & Rex gloriae, qui est via, veritas, & vita ^x, Iesus Christus Dominus noster.

PARVI SERMONES,

I.
a Ioan. 5. b
b Esai. 66. g

Tres sunt qui testimonium dant in caelo, Pater & Filius & Spiritus sanctus a. Tres in terra; spiritus, aqua, & sanguis. Similiter in inferno, ut in Esaias legimus ^b. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Duo mala sunt vermis & ignis: altero roditur conscientia, altero concremantur corpora. Tertium additur desperatio, quae in eo utique intelligitur quod dicitur, morietur, & non extinguetur. His qui in caelo sunt, datur testimonium beatitudinis: his qui in terra, justificationis: his qui in inferno sunt, damnationis. Primum testimonium est gloriae, secundum gratiae, tertium irae.

II.

De Spiritu sancto testatur Scriptura, qui procedit, spirat, inhabitat, replet, glorificat. Procedere dicitur duobus modis: unde, & quod. Unde? à Patre & Filio. Quod? Ad creaturam. Procedendo praedestinat: spirando vocat quos praedestinavit: inhabitando iustificat quos vocavit: replendo accumulatur meritis, quos iustificavit: glorificando ditatur praemiis, qui accumulavit meritis.

III.

Spiritus sanctus arguit mundum de peccato quod dissimulat: de iustitia quam non ordinat, dum sibi non Deo eam dat: de iudicio quod usurpat, dum tam de se quam de aliis temere iudicat.

IV.

Gen. 1. a

Usque hodie in civibus Babylonis aquarum effusio, id est confusio cogitationum, terram facit inanem & vacuum. Dum enim fluctuat circa carnem cogitatio universa, nullum ex ea sperare est fructum salutis. Dividantur ergo aquae ab aquis ^a, quatenus anima quoque (ut dignum est) partem sibi vendicat sollicitudinis & meditationis. Sanè inferiores certis limitibus coerceantur, certis contineantur alveis, necessitatis terminos non excedant,